

se sacramentaliter, hoc est, recipiens ad se significationem corporis Christi. Potest etiam alio respectu dici, corpus Christi esse subjectum (est enim signatum) & panem esse adjunctum, quippe signum. Sic cum Papistæ Ecclesiam catholicam gloriantur esse Romæ, ubi est ecclesia Antichristi. Sic cum Ethicæ objectum dicitur Evangelium de Christo, est elenchus objecti; cum inventio & dispositio statuuntur objectum partiale Rhetoricæ, cum sint objectum Oratoriæ, quæ omninò distincta est à Rhetoricâ. 2. *Cum non adequatum subjectum, sive sit recipiens, sive occupans, ponitur pro adequato, hoc est, latius vel angustius pro proprio: ut, Si deitas statueretur subjectum passionis, quæ est ἰδιωματὶς carnis; si ecclesia Theologiæ, terra Geometriæ, syllogismus Logicæ objectum adæquatum diceretur.* 3. *Cum subjectum denominationis confunditur cum subjecto inhesionis, subjectum quod cum quo, vel contrà: ut si quis dicat, λόγος esse in se reverâ passum, quòd caro sit passa; vel si neget aliquis carnem esse passam, eò quòd λόγος non sit passus. Nam humana Christi natura ut non per se subsistit, sed in verbo: ita non est id quod primò sustinet πρὸ πάθη, sed verbum ipsum; tametsi illa in naturâ humanâ inhæreant. Verbum igitur est subjectum denominationis, humana natura inhesionis. E. utrumq; rectè dicitur; Verbum est passum, Humana natura est passa.* 4. *Cum subjectum esse dicitur, quod est species: ut cum homo dicitur subjectum adæquatum animalis.*

**Fallacia ad-
juncti.**

Fallacia adjuncti est:

1. *Cum rei tribuitur adjunctum aliquod, quod ei non convenit: ut, Cum cælum dicitur rubere, quod convenit nubibus; cum calor dicitur calidus, quod convenit igni.* 2. *Cum quod effectum rei est, statuitur ejus adjunctum: ut si quis dicat, edere & bibere esse adjuncta animalis, creare esse adjunctum Dei.* 3. *Cum communia adjuncta assumuntur tanquam propria, & imperfectè propria tanquam perfectè talia: ut, Iste studiosus pallet. E. diligenter studet. Hunc errorem errant Papistæ, cum amplitudinem, continuam habere successionem, esse visibilem &c. statuunt notas proprias Ecclesiæ catholicæ. Sic ustio à quibusdam tribuitur igni tanquam perfectum proprium, cum sit imperfectum, uti vocant, quod tamen*

tamen